Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3269
Quelle:
Copyright:

cilij Constantien. cum responsionibus. Non invenio in *Actis* Concilii, neque apud *Cochlaeum*, quamvis legantur utrobique XXIIII. *Articuli a Patribus Concil. Constant. praescripti ad reducendos ab Hussitica hæresi Bohemos.* Diversi ab iis sunt nostri XXII. qui incipiunt: *Primo qui est infamatus de fautoria vel percipitur fauere Johanni Wikleff et Johanni hus hereticis condempnatis uel doctrine eorum in quacunque diocesi, ante omnia citetur et requiratur facere Juramentum* &c. Accedunt *fol.* 7. Collectanea pro Sermone *In die nicolay Episcopi*, in illud Eccl. 50. *Simon Onie filius sacerdos magnus* &c.

II. *fol.* 11. Sermo seu potius Expositio *Cap.* VI. *Paulinae ad Ephes.* quod legitur Dom. XXI. post Pentec. autore, nisi me omnia fallunt, *Job. Husso* e Custodia *Constantiensi* ad *Pragenses* suos missa; id enim et tractandi Methodus, et multa de primitiva Ecclesia, de Antichristo, de Hypocritis, de malis Sacerdotibus &c. et allusiones ad *Catenam*, et *Tychicum fidelem ministrum* suadent. Initium est: *De cetero fratres confortamini in Domino et in potencia uirtutum eius. Postquam ammonuit christianos quomodo viuere debeant post conuersionem et qualis fidei debeant esse* &c. Ex isthoc initio verisimile est, *Hussum* totam exposuisse *Epistolam*, idque, quod restat in *Codice*, finem esse totius Expositionis. Procedit illa στιχηρῶς. Inspersa nonnunquam vox est bohemica. Inter Spiritualia nequitiae in coelestibus *fol.* 15. p. 2. censentur *multe misse, cantus nimij, apparatus et ornatus ecclesie.* Antichristus *fol.* 17. p. 2. dicitur Daemonium meridianum, *et hoc demonium est communissimum existens in papatu sicud hoc Concilium Constanciense ostendit.* Paullo ante finem: *quanta bona vtilia salutaria audit Ciuitas pragen. et tamen semper commouēt deum peccatis suis vitam nolentes in melius immutare, et propter hoc facit deus adherere lingwam palato predicancium ne dicant eis misteria dei* &c. Calci adscriptus est annus 1418. quo nempe Exemplum nostrum Tractatus hujus ἀνεκδοτου exaratum fuerit.

III. *fol.* 26. p. 2. *De 8. Questionibus propositis discipulo.* Potius a Discipulo. Circa *Decimas* versantur hae *Quaestiones* praeter *Primam*, quae sic inchoat: *Amice preclare. ex scriptis vestris concipio. quod queritis pulchre et compendiose multas difficiles questiones. Quantum ad verbum christi de gladio dictum petro. potest saluo meliori iudicio sic sane intelligi. quod omnis qui gladio materiali iniuste percutit, hoc est contra voluntatem domini. gladio spirituali in diuino iudicio perimetur* &c. In Elencho *Codici* praefixo Autor dicitur *Wy.* Nec dubito Epistolam *Wicleffi* esse, licet in Catalogis a *Baleo* et *Tannero* textis non repererim.

IV. *fol.* 28. *Incipit de necessitate futurorum.* Inter damnatas cum *Pragae*, tum *Constantiae* Propositiones *Wicleffi* numero 27. illa fuit: *Omnia quae evenient, ab-*